



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

ordinis & dignitatum stipabat. Isto pompe ordine Urbem ingressus est, quæ felicitas à duobus sæculis Majoribus negata. Occurrit in vestibulo Mariani templi Clerus, brevi oratione de prosperè gestis, de adventu gratulatur. Postea ad ipsam Ædem deductus Elector, ubi Ambrosianus hymnus decantabatur. Inde Monasterium S. Petri, solitam Electoribus Sedem conscendit. † Confestim Senatus portarum claves obtulit.

Claves portarum oblatae.

XXXI.

Prima de occupatæ Urbis regimine cura, quomodo & scopuli veteres caverentur, & communis boni tutela firmaretur. Visum † sucto olim Jurejurando subditos obstringere. Convocati in majore foro cives, Elector in latioribus gradibus sub umbella holoserica stetit. Senatores propius, reliqua multitudo per forum erat diffusa: Ibi in genua devoluti, quæ peccaverant hæctenus, deprecati sunt. Elector clementiam Regis-Curiæ promissam uberius spondet. Singuli Civium secundum regiones, & tribus, stipulatâ manu obedientiam Electori promissere: † Ii qui extra portas habitant, tumultuum Rei, per libellum Electori innocentiam suam proponebant: Fateri se, quod motibus immixti, imò in tumultu primi fuerint, aut ex alieno hoc delicto non suo evenisse: calliditate imperantium se circumventos, qui simplicem multitudinem ad tegmen suæ rebellionis concitarint. Scilicet †

Homagium præstitum.

Excusatio suburbano- rum.

Electoris Clementia.

Emi-

Eminentissimus Elector Clementiâ suâ pertinaciam omnem liquefecerat, ut pueret in optimum Principem peccasse, hinc alter alteri culpam imputabat. Fides data jure jurando confirmabatur, proponente juramenti leges Secretario, omnis multitudo erectis ad Cœlum digitis subjectionem jurabat.

*Galli bene
XXXII.
remunerati
Rhenum re-
petunt.*

*Rarissimum
munus Regi
ab Electore
oblatum.*

Iisdem diebus † Rhenum auxiliares Galli repetiêre. Officiales cum liberalissimis donis Elector dimisit. Pradellio gladius multis pretiosus gemmis, & plures equi obvenêre. Ipsi Regi datum munus, † quod antiquitatis pretio omnem æstimationem superat: De Childerico Francorum Rege Clodovæi Patre suprà (a) dixit is anno Christi DIX. die vigesimo septimo Novembris obiit, ac Tornaci ritu gentili-um sepultus est, cumque nuper ibidem, gubernante Belgium Leopoldo Archiduce, Divi Cæsaris Ferdinandi III. Fratris, ruinosæ ædis fundamenta disjicerentur, (b) corpus unâ cum vario Cimeliorum, & armorum apparatu, inventum casu, & refossus est. Hæc Leopoldus Viennam miserat, Galliarum Rege frequentissimis votis, ista Prædecessoris monumenta desiderante. Abligavit Elector ad Cæsaris aulam Conradum Breuning suum è Societate

(a) Sub anno DXVIII.

(b) Vide Anastasii Childericianam Chifletii, in qua uberrimè hæc ab oculato teste, & elegantissimis cœtypis exhibentur.